



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 77. Cardinalis S. Georgii obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

naturali præsentem non esse, sed duntaxat per suam potentiam in gratia & veritate ibidem existere. Denique apologiam duplici testimonio concludebant, uno ex S. Bernardo, altero ex Petrar-
cha contra mores Curia Romanæ deprompto.

§. LXXVII.

Cardinalis S. Georgii obitus.

Hoc anno Joannes Antonius de S. Georgio Placentinus Cardinalis Romæ e-
vivi excessit, in Ecclesia S. Celsi sepul-
tus. Erat ille primo Ecclesie S. Am-
brofii Mediolanensis Præpositus, dein vero
Alexandrinus Episcopus ad Mediolanen-
sis Ducis preces renuntiatus est, a quo
etiam Orator ad Hungariæ Regem mis-
sus fuit. Post hæc Rotæ Romanæ Au-
ditor, diversis temporibus plures Episco-
pales Ecclesias regebat, donec tandem
Anno Domini millesimo quadringentesi-
mo nonagesimo tertio ab Alexandro VI.
Cardinalium Collegio adscriberetur, vul-
go Cardinalis Alexandrinus nuncupatus;
qua dignitate auctus Parmensem Ec-
clesiam sibi oblatam acceptavit, possedit-
que. Præter aliquas Orationes posteri-
tati reliquit plures tractatus in Decretum,
& Decretales, una cum commentario
in plures ac particulares juris tam Ca-
nonici

Sæcul. XVI.

A. C. 1509.

Guicc. lib. 7.

Aubery hist.

Cardin.

Ciacon. in

Alex. VI. to.

3. p. 168. &

204.

Sæcul. XVI.
A.C. 1509.

nonici quam civilis materias, inter celebriores hujus ævi Jurisconsultos haud immerito referendus. Interfuit comitiis Pontificiis, in quibus renunciati sunt Romani Pontifices Pius III, & Julius II. Porro in exequis laudatorem habuit Camillum Porcarium.

§. LXXVIII.

Mors Cardinalis Copis.

Hujus Purpurati obitum præcessit Melchior Copis itidem Cardinalis, qui Romæ secunda Martii extremum diem clausit. Natus erat in Austria, Parente Casparo Mekano, Maximiliani I. Imperatoris Consiliario, cujus præclara merita, ut in Filio remuneraretur Cæsar, Melchioren ad Brixensem Episcopatum nominavit, eundem vero Alexander VI. Anno Salutis millesimo quingentesimo tertio ad Maximiliani preces purpura insignivit. Vir erat toto vitæ suæ tempore in muneris sui ratione ex asse adimplenda assiduus, ac propterea sub Julio II. Romæ summo in honore habitus, demum in Ecclesia S. Mariæ de Ara Coeli sepultus est.

§. LXXIX.